

NICOLAVS LEONICVS RAYNOL= 151
DO POLO S. D.



Vm ab hinc aliquot annos varijs de rebus , sed quæ præcipue ad philosophiam spectarent , sermones quos-
dam Academicorum more confecissem : quorum ali-
qui in lucem ita prodierūt , vt in amicorum quorundā
manibus solū versentur : nonnulli vero adhuc in arche-
typis iaceant : ab eisdem sanè sum rogatus vt omnes illos examinatos
retractatosque aliquando sub vnius commentarioli volumine , quasi
in corpus vnum comprehendere & edere vellem : quod quo minus
adhuc effectum sit , multa sanè mihi impedimento fuere . Verum quan-
do tu eruditissime Pole superioribus diebus hac de re non vulgariter
mecum egisti , hortatusque es vt editionem hanc amplius non differ-
rem , & posteritati , quo modo possem , meæ interesse vellem : quan-
quam negotijs pluribus in præsentia distinerer , parūi tamen libens , &
hos ipsos , qualescunque sunt , edere , tibique dedicare decreui , vt tuo
patrocinio adiuti , apud cæteros cōmendationē habere mereātur : quodquia
per se fortasse , et si non contemnendum omnino , exile certe fuisset mu-
nusculum , id authoritate tua cui datum est , aliquid sanè esse videatur .
Talis est enim de tua singulari eruditione , exactoque in omnibus ius-
dicio , apud omnes , & tam certa existimatio , vt quicquid te adire au-
deat , aut abs te exire , excultum sanè , & omnibus numeris absolutum
esse omnes opinentur & credant . Neque id immerito mehercule .
Quotus enim quisque in re literaria nunc reperitur , qui in tam paucis ,
quot ætas ista tua recipit , annis , omnium liberalium studiorum sa-
craria sit ingressus , qui græce & latine æque sapiat , & vtriusque lin-
guæ cum dignitatem & elegantiam , tum dicendi etiam proprieta-
tes & modos per pulchre adeo sit consecutus , vt siue docere quippiam ,
siue literis mandare tibi libuerit , id luculenter mehercule & insigniter
facere possis ? Taceo de philosophiæ studijs : ad quæ sola te natū propter
admirabilem in illis excellentiam facile credi posset , nisi in alijs etiam
facultatibus id ipsum egregie præstares : vt res profecto nostro seculo
omni admiratione digna merito existimari possit , esse iuuenem , qui
paulo ante ex ephebis exierit , cuius adhuc impubes sunt genæ , qui
Platonis Aristotelisque opera omnia lexitauerit , & cum Academicis-
rum omnium tum Peripateticorum commentarios abstrusarum copia

AA.ij.

rerum vnde quaque refertos perlegerit, intellexerit, & ad manum etiam passatos habeat. Verū nescio quomodo aliud exordiens facere institui, aliud nūc ago. Quāobrem de his hactenus, cū præsertim nō laudator in præsentia, sed donator accesserim. Libenti igitur animo, Pole humanissime, hoc quod tibi trado munusculū recipias; cui si in omnis antiquitatis refertissima tua bibliotheca aliquē volueris esse locū, magni sanè authori muneris instar erit. Hilare enim ab eruditissimo viro admitti, & benigne recipi, aliquoque in numero haberi, etsi non maxima, non contemnenda certe laus, cui id acciderit, merito esse censetur.

Vale.

Patauij pridie Calendas Sextiles. M. D. XXIIII.